



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. B. Eustachius Abbas Agrestium calumniatorum diuino conuadatus  
vadimonio, beatum Columbanum defendit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

fuste percussus fuisset. Hoc accidisse scribit Anno 1253. cui consentiunt Matthæus Parisius, Ioannes Buriensis, & alij Britannici scriptores; licet alij scriptores nullam de hac re faciant mentionem. Vnde Delrius sublestæ fidei esse iudicat narrationem. Sed suppetunt alia quoque complura exempla, tam eorum, qui sua, quam qui aliorum causa appellauerunt.

Martinus  
Delr. lib. 4.  
disquis. Ma-  
gicar. cap. 4  
q. 4. sect. 1.

VIII.  
Jonas Abbas  
eius cõtem-  
poraneus, in  
vita S. Eu-  
stachij.

Psal. 42. 1.

IX.

Thom Can-  
tiprat lib. 2.  
Apum. c. 35.  
§. 3.

Matth. 5. 25.

Alterius causâ appellauit B. Eustachius Abbas. Is, hæretico quodam Agrestio B. Columbanum iam mortuum conuicijs calumniis que lacerante, in concilio Matisconensi, sic vitus est calumniatorem, vt diceret: *In horum presentia sacerdotum, te ego, eius discipulus & successor, cuius tu disciplinam & instituta damnas, ad diuinum iudicium, cum illo, intra presentis anni circulum disceptaturum inuito, vt inusti iudicis examen sentias, cuius famulum tuis obrectationibus maculare conaris.* Nec frustra eum conuadatus est diuino hoc vadimonio. Nam cum Agrestius sepius sibi datum penitentia locum non agnosceret, vt B. Eustachij sententia ad diuinum iudicium ipsum vocantis praualeret, ante triginta dierum circulum, priusquam vertentis anni meta compleretur, a seruo suo, quem ipse redemerat, securi percussus interijt. Ita & mortales immortalium queunt causam agere; & ipsi etiam immortales dicere possunt: *Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, & ab homine iniquo & doloso erue me.*

Et meritò sibi cauent à tali prouocatione iniquitatis non solum operadores, sed etiam fautores ac patroni. Quemadmodum cauisse legimus Hannoniæ Comitem: qui, dum vellet, in Ecclesia S. Ioannis, in Valencenis, canonicos expellere regulares, & pro eis ponere canonicos seculares; Abbas eiusdem loci, ad summum iudicem appellauit. Appropinquante autem appellationis die, cum Abbas inciperet infirmari, & se ad comparandum, coram summo iudice, orationis instantia prapararet; ipseque Comes, sub eodem tempore, sentiret incommodum, cause cessit, omnimodè diem veritus iudicij, & sententiam expectare. Sapuit iste in tempore, consilium Christi secutus dicentis: *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via, cum eo: ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro: & in carcerem mittaris.* Vtinam & alij consilium hoc audirent, & dum in via sunt, faciem iudicis præoccuparent. Serò beneuolentia Iudicis conciliatur in tribunali: præstatque aduersarium placare, quam expectare sententiam damnantis. Rideri homines possunt, Deus

non.